

regi, quod Regi regum omnium Domino serviam, Staplet. in vita.

Quid? Heraclius imperator nonne crucem Domini suis humeris extulit in montem Calvariae? Quod imperator sibi nonori duxit, erubescat facere nobilis, miles, civis?

III. Ambulans unguis suos non exerit, sed recondit intra pedem, quasi in vaginam. Sic decet nos in processione sine armis. Non enim venimus pugnare cum Deo, sed ad ejus pedes supplices accedere. Ita egit junior Theodosius imp. ingrediens in templum. Denique, incedatur sine pompis, incedatur sine odio aut amarulentia erga quemquam.

Includantur cura et sollicitudines domesticae de parando cibo et nummis, et reserventur alteri tempori. Sic Abraham pergens ad montem Moria Deo filium sacrificaturus, ait servis suis infra montem: *Expectate hic cum asino; postquam adoraverimus revertetur ad vos*, Gen. XXII. Asini sunt temporales cura, familiam gestantes, quorum oblationem respuit Deus, Exod. XIII.

IV. Vestigia sua cauda velut scopis everrit, et aholet, ne ex iis deprehendatur a venatoribus. Nos in processione bene ambulabimus, si per actum contritionis et aliquas mortificationes, peccata nostra et poenas ea consequentes deleamus. Legimus IV. Reg. XVII. leones fuisse a Deo immissos in Babylonios illos, qui ad incolendam Samariam missi a rege Assyriorum tulerunt secum idola sua in terram sanctam. Quid autem aliud sunt peccata, quam idola? Ea igitur in loca sacra nequaquam inferenda: sed contritione saltem delenda sunt. Ad pontificem nemo ingredi cum armis permittitur; similiter ad Turcarum imperatorem; idque capitale est. Ad Dei aedes cum peccati telo audeat quis ingredi?

V. Dum ambulat, sinistro pede non transit dextrum, sed sinistrum infigit infra dextrum, more camelorum, Aristoteles, lib. II. animal. cap. I. Ita nos decet in processione ante omnia quaerere regnum Dei; secundarias intentiones retro ponere. Pes dexter est, processione peragere ad propitiandum Deum, ad flagella communia et gravia avertenda, pestem, bellum, tempestates noxias, ad impetranda beneficia, pacem, unionem principum, Ecclesiae exaltationem, haeresum exirpationem, Turcae depressionem, ad gratias Deo agendas pro acceptis beneficiis.

Pedem sinistrum dextero praepouunt, qui exeunt animi gratia quasi exspatiatum ob verni temporis amenitatem, ob corporis exercitium, propter bonam societatem et conversationem, ut mercentur et potent, vel ob curiositatem; ne dicam ob flagitium aliquod patrandum, quod fecit

Absalon, cum peregrinationem in Hebron instituit, sub specie reddendi vota sua Deo, revera autem ut rebellionem in patrem moliretur, ut habetur, II. Reg. XV. Nautae, qui ad septentrionem versus polum arcticum navigant, buccinam intuentur, quae est constellatio habens formam buccinae: qui vero versus meridiem et polum antarcticum, crucem aspiciunt, seu constellationem, crucis formam habentem. Qui ad meridiem caeli peregrinantur, crucem in processione praecedentem aspiciunt et fines pios, qui vero ad noctem perditionis, buccinam vanitatis intuentur.

VI. Cum ambulat, movet se ad scapulas. Similiter in processione cum motu devotionis ambulandum. Cogita primo, te ambulare cum cruce, et cum Christo bajulante sibi crucem ad Calvariae montem. Qualis processio fuit! Ejectus fuit Christus a Judaeis et passus extra Jerusalem, ad ejus imitationem hortatur nos apostolus ad Hebr. XIII. *Exeamus igitur ad eum extra castra*, inquit, *improperium ejus portantes*. Eamus extra castra pompae, voluptatum, luxus: et Christi improperium gestemus, crucem meditetur.

Secundo, cogita vitam nostram esse processione ad mortem, non secus ac via Christi fuit ad Calvariae montem; nisi quod terminus nobis occultus est, et putatur esse longior. Mons ille a calvariis, hinc inde jacentibus, dictus est, secundum S. Hieronymum. At nos nonne eodem pergitimus? Ad coemeterium, inquam, calvariis mortuorum plenum? Unde subjicit loco citato apostolus: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*. Peregrini sumus et ad patriam tendimus. Nihil jam ergo hic quaeremus, ad instar illius boni latronis, qui nihil jam in mundo appetit, aut a Christo petit, nisi ut cum ipso esset. In illa processione prima, quam hoc die Romae instituit S. Gregorius, inter supplicandum octoginta homines corruerunt, peste extincti intra unam horam, teste S. Greg. Turon. I. X. hist. Quot vestrum, putatis desiderabuntur intra hunc annum?

VII. Inter eundem crebro subsistit et respicit, an et qui sequantur. Vide tu primo, hominum piorum multitudinem: parvulos, senes, nobiles, ignobiles, quomodo Deum laudent. Eo respexit Ezechiel, cap. III. dicens: *Audivi post me vocem commotionis magnae, et vocem alarum animalium percussientium alterum ad alteram*, hoc est, bonis pietatis exemplis se invicem excitantium ad virtutem, ut exponit S. Gregor. homil. X. ibid. et XXIV. moral. c. VI.

Secundo, mortem a tergo omnes insequentem. Xerxes Persarum rex flevit, videns innumeram

exercitus sui multitudinem, intra annos 100. interituram, teste S. Hieronym. in epitaph. Nepotiani. Cogita hanc turbam multitudinem intra 50. annos ubi? In visceribus terrae futuram. Mortem igitur expecta.

Tertio, processione caelitem sequentium agnum, cui nos annumerandos speramus, quandoquidem una est Ecclesia, militans et triumphans: sicut una est processio, ejus pars anterior jam intravit templum, posterior vero sequitur. Prior illa triumphans jam intravit caelum, posterior militans sequitur: quo et nos perducat Deus.

CONCIO III.

QUI POTISSIMUM OPERARI A DEO POSTULANDI.

I. Petendi boni angeli. — II. Boni pastores animarum. — III. Boni magistratus et superiores. — IV. Boni Christiani quicumque. — V. Operarii messis et vindemiae.

THEMA.

Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Luc. X.

Docemur in hodierno evangelio a Christo, quid potissimum petendum sit in nostris processionibus: *Rogate dominum messis*, inquit, *ut mittat operarios in messem suam*. Caeterum mira et paradoxo est haec Domini adhortatio: *Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*. Etenim, o Domine, si messis illa tua est, roga tu operarios, ut mittant falcem in segetem tuam: tibi enim metent cum tua res agatur: qui si non operentur, tibi damnum afferent. Ecce ergo vis a nobis rogari, ut mittas operarios in messem tuam? Duo mihi occurrunt ad haec respondenda. Primum, tam grata et accepta est ipsi nostra oratio, si suis constet numeris, ut sine ea messem suam non magni aestimet et quasi negligere velit; unde panem sale non conditum. Alterum rogari vult a nobis, ut in messem suam mittat operarios, quo illam messem suam faciamus etiam nostram. Quod enim oratione petimus, tamen si alteri petimus nobis acquirimus, adeoque nostram etiam facimus, si verbi gratia acquiramus alteri nostra intercessione praefecturam. Monet ergo nos ad orandum pro operariis suis, ut ipsi operentur nobis, quidquid operantur, quando eorum labores oratione impetramus. Jam vero quinam illi operarii sunt, qui precibus nostris postulandi sunt? Audiamus.

I. Hi primo sunt ss. angeli qui a Christo messores appellatur, Matth. XIII. *In tempore messis*

dicam messoribus: Colligite primum zizania, etc. Moxque id explicans: *Messores*, inquit, *angeli sunt*, qui nimirum in judicio mundum istum peccatis inquinatum, demetent, et separabunt malos e medio justorum, zizania e tritico. Pro his ergo messoribus rogandus imprimis Deus, ut mittat ad defensionem et tutelam nostram, quod docet Christus Dominus, Matth. XXVI. cum ad Petrum ait: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibet mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?* Ita oravit Deum Judas Macchabaeus, II. Macch. XV. *Tu Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Juda et interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: et nunc dominator caelorum mitte angelum tuum bonum ante nos in timore et tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum suum*. Nicanorem intelligit, qui cum valido exercitu invasit Hebraeos. Nec irrita fuit oratio; prostravit enim Judas triginta quinque millia, in quibus etiam ruit Nicanor. Verum quidem est, singulis adesse angelum custodem pro defensione; ea tamen potestas angelo limitata est a Deo, et potest augeri vel minui, pro cujusque merito et oratione. Saepe etiam cogimus angelos custodes longius recedere, dum in gravia peccata ruimus, quod variae historiae docent, et scribit Josephus, I. VII. de bello, c. XII. festo pentecostes paulo ante excidium Jerosolymae, auditam in templo a sacerdotibus, noctu ingredientibus, subitam vocem: *Migremus hinc*, utique angelorum, qui templum id vastandum ob peccata Judaeorum tunc deseruerunt. Ut enim fetentia et impura omnia fugiunt apiculae: ita ss. angeli impuram hominum vitam. Vae nobis ergo, si consimili modo deserant nos angeli. Dum vero nobis adsunt, a peccato dehortantur, peccandi occasiones remouent, ad bonum, et progressum in virtutibus impellunt, demonum insidias arcent. Scimus ex III. Reg. c. XVII. Eliam in solitudine diu pastum fuisse corvorum beneficio, qui quotidie attulerunt ei panem et carnem. Qua re quid mirabilius? Quis enim est, qui nesciat corvorum voracitatem, adeo ut carnes etiam putridas avidissime et rapiant et vorent? Unde igitur factum ut carnes tam bonas et sapidas, quas e mensa regis Achab per angelum sublatas censet Abulensis, non ipsi devorarent? Utique angelus Domini, qui corvis deferendas attulit (uti idem auctor indicat) eis semper a tergo aderat et prohibebat, ne cibum sibi vetitum, et prophetae destinatum, comedere auderent. Ita nobiscum quoque custodes agunt angeli, arcent a cibis vetitis aliisque rebus illicitis, injiciendo nobis scrupulum, et ti

morem Domini; promoventque ad progressum in virtutibus. Videre hoc datum fuit cuidam Stylitæ Edesseno, apud Matth. Rader. III. p. viridarii: justos videlicet circumvallari a bonis angelis; peccatores vero a malis, qui nisi ab angelo custode pone, mæsto licet, sequente perhiberentur, omni momento eos perderent; quod facile sibi quisque persuadere potest.

II. Pastores animarum, verbique Dei seminatores, et de his potissimum loquitur hic Dominus. Ipsi enim falce partim linguæ, partim potestatis absolvendi a Deo sibi traditæ, partim vitæ bonæ populum christianum, huic terræ affixum, demunt et in horreum cæli transferunt. Unde Sanctus Hieronymus, l. II. in epist. ad Gal. ait: *Prece-mur dominum messis, ut mittat operarios ad metendum, qui spicas populi christiani; quæ stant in Ecclesia futuro tritico præparatæ, metant, colligant, et in horrea comportantes, nequaquam perire patiantur.* Merito sane, quia magnum et difficile est hoc munus: homines terræ affixos et ad terram inclinatos erigere ad cælum, imo cælo etiam invehere. Non quisvis est idoneus ad hoc peragendum, quod non minus est quam mortuos suscitare, ex hominibus angelos facere. Rogatus aliquando Elisæus, ut suscitaret filium Sunamitidis defunctum, misit servum suum, dato ei baculo suo, quem imponeret defuncto. Fecit ille, sed re infecta rediens: *Non surrexit puer*, inquit; itaque Elisæus ipsemet descendere et incumbere super puerum, suaque membra constringere et aptare membris ejus debuit, donec puer revivisceret, IV. Reg. IV. Quid rudis et vitiosus pastor aut prædicator, nisi hujusmodi baculus? Lignum, inquam, rude et aridum? Talesne suscitabunt mortuos Deo peccatores? Minime gentium. Similes vel certe non multum absimiles Elisæo esse debent, sancti et eruditi; multum insuper adhibere studium, multam precationem, multam exhortationem verbo et opere debent, ut tantum opus efficiant: *Ab immundo quid mundabitur?* Ecclesiastici XXXIV. Ab infecto vase fætere solet vinum; et a sordido pastore sordidatur grex. Ipsi sunt *sal terræ*; qui si infatuati fuerint, quomodo salient populum? Ipsi stomachus sunt in corpore dispertiens nutrimentum per omnia membra; quo corrupto omnia languent, ut docet auctor imperf. homil. XXXVIII. in Matth. Jure igitur precari jubemur, ut bonos hujusmodi operarios Deus mittere velit; quia pauci tales sunt, ut lamentatur S. Gregorius, homil. XVII. in evang. *Ad messem*, inquit, *multam operarii pauci facti sunt, quod sine gravi mærore loqui non possumus. Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen rarus invenitur operator: quia officium quidem*

sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. Operarios quærit Dominus, non mercenarios, qui mercedi solum inhiant, et opus negliger faciant: operarios, non inspectores tantum, quales sunt magistri vel præfecti cæmentariorum, qui alios quidem ad labores impellunt, ipsi vero parum aut nihillaborant: plus interim mercedis præ cæteris accipiunt.

III. Magistratus et superiores; qui gladium pro falce gerunt, quasi a Deo armati, ut vitia excendant, ipsosque vitiosos velutzaniae medio tollant, qui si boni sint et officium faciant, totam civitatem conservabunt: sin mali et ignavi, totam vastabunt. Hinc, I. Reg. cap. XIV. appellatur *anguli populi*. *Applicate huc universos angulos populi*, inquit Saul, idque ex proprio Hebræorum idiomate, quia sicut anguli continent et sustentant domum, sic etiam principes et magistratus civitates, ut ibi notat Gaspar Sanctius, Isaia, cap. XXX. appellat eos *turres*. *Cum occiderint turres*, inquit, h. e. principes, qui sicut turres super populum eminebant, ut ibi exponit S. Thomas alique omnes. Nemo autem nescit quantum ornamentum simul et præsidium afferant turres civitati contra hostes, si firmiter consistant: quantum nocuum, si cadant. Turris, quæ in Siloe cecidit, decem octo homines contrivit, teste Domino, Luc. XIII. Hinc orat David, Psal. CXXI. *Fiat pax in virtute tua et abundantia* (vel ut alii legunt *salus*) *in turribus tuis*. Pax et abundantia, quia se mutuo consequuntur, pro eodem sumuntur. Orat ergo ut fiat pax in principibus; quia ab illorum pace et salute pendet pax et salus populi. Hinc fit sæpenumero, ut cum Deus punire intendit populum, mittat eis regem vel magistratum improbum; quemadmodum ipse per Oseam, cap. XIII. dixit: *Dabo tibi regem in furore meo*. Loquitur de Saule: dabo, hoc est, dedi tibi Saulem iratus, quod regem alium a me peteres, ut exponit ibi Cornelius. Quod sane cum amara quadam ironia exprobrat Hebræis Samuel, cum ad eos loquens, I. Reg. XII. ait: *Dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabil nobis, cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis et petistis.* De quo Sanctus Augustinus super Psal. XV. « Saul, inquit, rex non ad permanendum electus est a Domino, sed secundum cor populi durum et malum datus est ad eorum correptionem, non ad utilitatem, secundum illam sententiam: Qui regnare facit hominem hypocritam propter perversitatem populi, Job XXXIV. » Sic ille. Intellexit hoc vel ipse gentilis Plutarchus, qui l. de sera num. vind. cap. IV. docet impios principes et tyrannos dari a Deo velut carnifices ad

punienda eorum peccata. « Quemadmodum fel hyænæ, inquit, et phocæ aliorumque fædorum animalium coagula aliquid habent ad sanandos morbos utile: sic nonnullis morsu et pœna indigentibus Deus injiciens tyranni alicujus sævitiam implacabilem aut magistratus molestam asperitatem, non ante id, quod exercebat ac turbabat sustulit, quam vitioso morbo liberasset ac purgasset. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris; Romanis Marcus; Orthagoras, Myro et Clisthenes Sycionis. » Bene, meminit phocæ, qui est bos marinus, sævus et iracundus non solum alienos a sua specie pisces invadens et impugnans, sed propriam conjugem perpetuo infestans. Hujusmodi enim tyrannus et re et nomine fuit Phocas imper. sub Gregorio M. Pp. qui cum velut tyrannus sæviret in innocentes, monachus quidam sæpe cum Deo precibus expostulabat: *Cur Domine cum fecisti imperatorem?* Cui responsum cœlitus: *Quoniam non inveni pejorem.* Refert Anastasius Nicænus, q. XV. in script. Expurgavit certe hic tyrannus et sanavit modum Mauriti imp. eum hic plectendo propter delicta sua, ne plecteretur ibi.

IV. Christiani quicumque in Ecclesiam Christi missi, ut sint operarii et messoris boni. Quemadmodum enim alibi (Matth. XX.) omnes, quos offendit operarios paterfamilias Deus, misit in vineam suam: ita nunc omnes Christianos mittit in agrum suum. Vult ergo ut unus pro altero Deum interpellat, et gratiam bene agendi et sancte vivendi impetret. Servi orent: *Mitte nobis bonos dominos: domini: Mitte nobis bonos servos: filii: Mitte nobis bonos parentes: parentes: Mitte nobis bonos filios: cives: Mitte bonum magistratum: magistratus: Da nobis bonos cives: pauperes pro divitibus, sani pro infirmis, securi pro periclitantibus, etc.* Denique, ut omnes faciant suum officium velut boni Christiani. Hoc est quod S. Jacobus, c. V. scribit: *Orate pro invicem ut salvemini.* Idem insinuavit Christus, quando tradens formulam orandi præscripsit orantibus pluralem numerum, ut communem patrem appellemus dicendo: *Pater noster*, communem panem petamus, communem debitorum remissionem, communem præsertionem in tentationibus, liberationem a malo.

Ratio est primo, quia sic juvat alter alterum, ut qui propria oratione nihil impetrare potest; quia forte male et tepide, aut existens in peccato orat, adjuvetur oratione aliena: sicut equi juncti curru, se mutuo sublevant ac promovent. Sic messoris et operarii, quorum alii aliis melius norunt artem metendi et struendi, vel alius alio fortior est, dum mutuam sibi impendunt ope-

ram, facile perficiunt opus. Quam ob causam Salomon cædendis pro structura templi lignis de Libano junxit servos suos cum servis Hiram, Sidoniis, ut horum arte et industria adjuvaretur illorum imperitia: *Servi mei sint cum servis tuis*, inquit, *scis enim quomodo non est in populo meo vir, qui noverit ligna cædere sicut Sidonii*, III. Reg. V. Simili igitur modo dum unus pro seipso nescit bene orare, adjuvabitur oratione alterius, qui multum potest orando; quam rationem addit ibidem S. Jacobus, cum ait: *Multum enim valet deprecatio justis assidua.*

Secundo, quia sic non solum oratur; sed etiam exercetur charitas erga proximum. Unde Sapientia Gregorius, lib. V. epist. cap. XIX. « Preces enim nostræ, ait, tanto celerius in Dominicæ pietatis aurem sublevantur, quanto eas vicissim pro nobis fusas charitatis ardor exacuit: » et alibi: « Libentius sacrificium orationis suscipitur cum in conspectu misericordis judicis proximi dilectione conditur. » (Auctor vero imperf. hom. XIV. in Matth.) « Pater noster, inquit, dixit, non meus: pro se enim orare naturæ est: pro altero autem charitas fraterna hortatur. Dulcior est autem ante Deum oratio, non quam necessitas Deo transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. » Denique, quia: « Ita magna remuneratio est, inquit S. Ambrosius, l. de Cain, cap. IX. ut orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia: » et S. Gregorius, l. 1. epist. XXIV. « Dum nos vobis, ait, per orationis opem jungimus, quasi ambulantes per lubricum, vicissim nobis manum tenemus; fitque ex magna provisione charitatis, ut eo singulorum robustius charitas perfigatur, quo in alterum alter innititur. »

V. Operarii messi et vindemiæ, quam præstolamur hac æstate. Pro his mittendis rogare aliud non est, quam orare illud Dominicum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ubi enim panis hic in agris non est, ibi nec messoris erunt: et si messoris desint sive ob tumultus bellicos, sive ex aliis causis, ibi nec pane agri frui possumus. Certe panis iste multa sustinet pericula, pruina, siccitatis, grandinis, æruginis, hostilitatis; jure igitur merito petere eum jubemur, et quotidie quidem; quia dicimus: *Quotidianum*, cum quotidiana etiam sunt pericula. Tametsi vero Deus novit panem nobis ita esse necessarium, ut sine eo vivere non possimus, adeoque nec servire ipsi; vult tamen a nobis cum precibus impetrari, ut cum merito obtineamus et possumus vere appellare panem nostrum, quasi nostro labore partum. Balearici funditores sunt supra cæteros insignes, ut qui tres fundas

circa caput gestant ad omnimodam jaculorum emissionem, qui neque puerulis panem alia conditione dare solent, quam funda ab ipsis dejectum, Strab. l. III. Hunc in modum Deus, ut bene et sedulo precandi artem perdiscamus, panem non vult dare, nisi quem jaculo orationis de celo quasi deiecerimus. Bonus ille Isaac dilexisse dicitur filium Esau, quasi præ altero, Jacobo, Genes. XXV. Mirum certe hoc: cum Esau, uti pilosus et horridus, ita quoque asper et ferus esset moribus: contra Jacob, uti lævis corpore, ita moribus placidus et amabilis. Causa refertur ibi; quia Esau venator erat, de cujus venatione comedeat Isaac. Habebat is domi suæ pecora innumera: ea tamen ipsi non ita sapiebant, uti caro ferina. Nimirum hæc industria et labore paratur: domestica vero absque labore, mera pecorum fecunditate habetur. Certe etiam Jacob arcu demum uti cepit, et pluri aestimavit prædium, quod acquisivit gladio et arcu suo, quam quod pecunia prius emerat: ideoque illud velut rem præ cæteris charam legavit suo Josepho, Genes. XLVIII. Panis ergo quem orationis sagittis comparamus, quasi caro ferina, Deo gratior et sapidior: panis vero, quem omnino gratis sine nostris precibus, quasi, caro domestica est. Itaque oratio nostra Dei oblectatio, Dei quasi eibus dulcis et optatus est; quo ipsum etiam pascimus, dum humili et ferventi oratione pasci ab eo petimus. Tales venatores amat Deus, qui industria orationis cibum sibi parant. Illos amat paterfamilias, qui panem otiose non comedunt: otiosos vero odit et expellit, uti apes fucos, qui mel quidem vorant, sed pro eo conficiendo nihil laborant.

CONCIO IV

IN PROCESSIONIBUS QUÆ CAVENTUR.

I. Non portandus sacculus negotiationum. — II. Non pera comessationum. — III. Non calceamenta superbi vestitus. — IV. Nemo in via salutandus per confabulationem. — V. Eundem sicut oves eunt.

THEMA.

Nolite portare sacculum neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis.

Luc. X.

Non multum aberrabo, auditores, si nostræ processiois, quam hodie institimus, exemplar dicam fuisse illam, quam in hodierno evangelio præscribit Salvator noster suis septuaginta duo discipulis. Pertransiturus benefaciendo oppida et castella Judææ, præmisit illos septuaginta duos,

binos et binos, ut prædicarent evangelium et infirmos curarent, ipsi denique mox secuturo viam præpararent, quo facilius Judæi ipsum reciperent velut suum Messiam, ab eoque plenam fidem, peccatorum remissionem et gratiam, acciperent. Nos etiam de Ecclesia nostra in vicinum oppidum vel pagum bini et bini, vel terni et terni, in forma processiois egredimur, quasi a Christo summo pastore nostro missi, ut non quidem lingua sed modestia, silentio, gravitate, oratione totiusque corporis religiosa compositione alios ædificando, evangelium prædicemus, qua ratione S. Franciscus vadens cum fratribus suis, etiam illitteratis, per urbis compita fertur eis dixisse: *Eamus prædicatum, non lingua sed modestia*: deinde, ut liberali nostra manu sanemus eos, qui passim in via occurrunt nobis, pauperes, fractos, ulcerosos, miserios, non exiguo numero; sicque ipsi viam quodammodo paremus, velut mox secuturo et hunc in locum venturo, sub missæ sacrificio. Quæ cum ita sint, nos etiam videntur tangere leges illæ, quas in hodierno evangelio Dominus præscripsit suis discipulis, ut nos ipsis conformemus quas nunc audiamus.

I. *Nolite portare sacculum*, Græce *marsupium seu crumenam*. Portant secum sacculum, qui ob negotiationem vadunt peregrinatum; deinde, qui terrena solum non cælestia bona petunt veniunt; quo nimirum sacculum et crumenam impleant. Male a Christo exceptus fuit, qui ob talem causam ipsum rogavit: *Magister dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem*. Audit enim: *Homo quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?* Luc. XII. Loquitur quasi ad ignotum, dum hominem appellat, q. d. non novi te in hoc postulato; non enim propter temporalia veni in hunc mundum, qui nec pedem unum propterea moverem. Pessime etiam exceptus fuit Adonias a Salomone, quando ab eo petiit sibi dari Sunamitidem in matrimonium, cogitans per hoc, uti Salomon suboffecit, regnum Salomonis trahere ad se; supplicium enim mortis incurrit, III. Reg. II. Terrenæ namque divitiæ, honores et commoditates plus plerumque obsunt, quam prosunt; unde Dei iram potius merentur quam benevolentiam, si primario et per se petantur; fitque oratio talium *in peccatum*. Gravissimam plagam accepere Hebræi, quando ad aræ præsidium confugerunt ob temporalia tantum commoda sua, I. Reg. IV. Pari modo Christiani sæpe nihil impetrant, sed gravius interdum puniuntur, quando in tribulatione instituunt processiones cum s. eucharistia et ss. reliquiis; quia Deus: *Scit illos pro evasione et cessatione periculorum corporatum deprecari, non ex recta radice, hoc est, non ex chari-*

tate neque sincera intentione; sed ex amore carnis, quo diligunt vitam præsentem ac prospera ejus: sicque oratio eorum fit in peccatum, et indignationem provocat deitatis, etc. ait Dionysius Carth. in eum locum, art. X. myst. interpr.

II. *Neque peram*: ad panem videlicet et alios cibos in ea gestandos. Non intendo prohibere in longiore præsertim peregrinatione necessarium commeatum: sed superfluum et commessationes compotationesque, quæ quandoque instituuntur majori luxu et intemperantia quam decet. Quando cum Deo loqui et agere volumus, spiritumque nostrum in oratione pascere, caro interim jejulare, non saginari debet. Quemadmodum enim vellus Gedeonis siccum et aridum mansit, quando arca circumjacens rore perfusa fuit: et vicissim rore conspersum quando arca remansit siccæ, Judic. VI. Simili modo si animam consolationis gratiæque cælestis rore perfundi in oratione desideramus, carnis terra, ne voluptatibus diffuat, jejunio et abstinentia coercenda est: quæ si cibo et potu impleatur, perarida remanebit anima, omnique devotione destituta. Et sane absurdissimum est planeque Epicureum, eo tempore velle ventrem saginare, quo affligendus est pœnitentia, ac mens reficienda: id quod exprobat Hebræis Isaias, cap. XXII. dicens: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum, ad calcitium et ad cingulum sacci: et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum*. Quid vero ad hoc Deus? *Et revelata est, inquit, in auribus meis vox Domini exercituum: si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum!* q. d. juro, quod non dimittetur vobis. Quid hæc comminatione terribilis? Senserunt eam Hebræi, quando ad montem Sinai legem Dei sibi promulgandam expectantes, sederunt manducare et bibere, necnon circa vitulum ludere. Jussit enim occidi reos, et cæsa sunt viginti tres millia eis, necdum tamen placatus Deus addidit: *Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum*. Neque iram hanc evertit Moysis precatio; sed percussit insuper Deus populum nova plaga, quam pestem fuisse existimat Abulensis episcopus, Alphonsus, Tostatus in eum locum.

III. *Neque calceamenta*: superflua videlicet et quæ totum pedem tegunt, ac nitidiora. Qui in supplicationibus incedunt, splendorem vestium et ornamenta sibi deponenda sciunt, si Deum sibi placare et postulata impetrare volunt. Legimus enim Deum a Moyse rogatum, ut dimitteret populo peccatum, in vituli cultu admissum, præcepisse prius populo, festivis induto vestibus: *Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam*

tibi, Exod. XXXIII. quasi hæc ornatus depositio necessaria sit ad placandum Deum et prima dispositio. Quis enim homini superbo misericordiam velit impendere? Hinc Theocritis illa, ut gratiam a Davide impetraret, lugubrem induit habitum quo regem ad commiserationem flecteret, II. Reg. XIV. Quare Concilium Moguntinum, can. XXXIV. præcepit ut Christiani supplicationes committentur: *Non equitando nec pretiosis induti vestibus*. Decet enim subditum arma illa deponere, quibus contra dominum suum militavit, si veniam obtinere velit. Vestium luxus arma non postrema sunt, quibus Deus impugnatur. Quare sæpe viri etiam primarii in processiois publica necessitate institutis, plane discalceati et nudis pedibus incedere non erubuerunt, uti Theodosius junior imper. Constantinopoli in processione instituta ob frequentes terræ motus, apud Niceph. lib. XIV. cap. XLVI. Leo papa decimus Romæ, in publica supplicatione, cum Ecclesia a Turcis infestaretur, teste Jovio in Leone X. lib. IV. indicta anno 1517. ad Sanctam Mariam super Minervam, discalceatus incessit; uti et Sanctus Carolus Borromæus cardinalis et archiepiscopus Mediolani in processione, pestis causa peracta, ut in ejus vita. De S. Elisabetha Thuringiæ principe scribit auctor vitæ, lib. III. cap. XI. « In diebus rogationum, cum quidam contra sanctorum decreta facientes, pretiosos et delicatis vestibus decorantur, ipsa princeps regis filia laneis induta, nudis pedibus processiois crucis et sanctorum reliquias devotissime sequebatur. » Qua ratione effecerunt ut ipsorum preces cælum penetrarent, quia: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, Ecclesiastici XXXV. Quid causæ est, quod David dixerit de Jonatha: *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum?* hoc est, nunquam abiit in vanum, quin transfigeret scopum; nisi quia Jonathas adeo fortiter arcum tendere solebat, ut semper penetraret, III. Reg. I. Quo magis ergo chordam traxit deorsum eo altius evolarunt et fortius penetrarunt ejus sagittæ. Pari modo nos quo magis nos deprimimus, dum oramus eo potentior evadet nostra oratio, et penetrabit nubes imo ipsum Dei cor.

IV. *Neminem per viam salutaveritis*. Phrasid Hebræa vult dicere: Ne divertatis ad privatas salutationes et familiares prolixasque colloquutiones; sed omnem vanam confabulationem, distractionem ac moram præscindite, ut ibi explicat Cornelius a Lapidé. Cavendæ etiam sunt in ss. processiois salutationes tales, profanæ inquam confabulationes, risus, cachinni. Et sane si apostolis ad prædicandum evangelium missis salutationes illas Dominus prohibuit, quo jure dum